



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Instructio practica ...**

De Horis Canonicis Juxta Rubricas Breviarii Romani ritè recitandis - In qua etiam ipsæ Rubricæ Notis brevibus illustratæ, & Martyrologij Romani nomina suis Accentibus signata continentur, Ad Faciliorem Discentium Vsvm Ac Praxin

**Lohner, Tobias**

**Dilingæ, 1676**

Tit. X. De Translatione Festorum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48333](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48333)



de Semiduplici ante diem infra Octavam, *f.* de die  
infra Octavam ante Ferias Adventûs, Quadrage-  
simæ, Quatuor Temporum, Vigiliarum, & Rogati-  
onum, & de dictis Feriis ante Festum Simplex.  
S. MARIA (quando in secundis Vesperis Festi-  
vum Lectionum, quod Feriâ sextâ celebratum sit,  
ea fieri debet commemoratio pro Officio sequenti  
Sabbati) fiat ante Festum simplex in Sabbato occur-  
rens. De Festo Simplici fit commemoratio ante  
Suffragia, seu communes Commemorationes de  
Cruce, S. MARIA, Apostolis & Pace, & ante com-  
memorationem cujuscunque Tituli vel Patroni Ec-  
clesiæ, quæ etiam pro sui dignitate aliis Suffragiis  
prædictis præponeretur. *g.* De quibus Suffragiis  
quomodo, & quando facienda sint, habetur inferius  
propria Rubrica.

*F.* Etiam si Semiduplex cum die infra Octavam in die Fe-  
sto alicujus Duplicis concurreret; in tali enim casu, licet die  
infra Octavam, si Festum Duplex abesset, Vesperas à Capite  
lo exigeret, adeoque primam Orationem ante Semiduplex  
sibi vendicaret, amittit hoc jus ex speciali dispositione Ru-  
bricæ, si, occurrente Duplici, de ea & Semiduplici tantum  
commemoratio fieri debeat, uti fusius alibi ex Gavanto  
c. i. n. 39. ostensum est.

*G.* Quale essent v. g. Trinitatis, Salvatoris, Transfigu-  
rationis &c. tunc enim de Simplici Festo occurrente ante  
omnes Personas fieri deberet commemoratio, eò quòd Sim-  
plicis commemoratio specialis, reliquarum Personarum  
verò commemoratio generalis seu communis sit; specialis  
autem, cæteris paribus, præferendum sit generali.

## TITULUS X.

### DE TRANSLATIONE FESTORUM.

I. **S**I aliquod Festum Duplex occurrat in Dom-  
nicis Adventûs, & à Septuagesima usque  
Dom



Dominicam in Albis inclusivè; in Vigilia Nativitatis Domini, in die Circumcisionis, in tota Octava Epiphaniæ, in Feria quarta Cinerum, in tota majori hebdomada, & infra Octavam Paschæ, in Ascensione Domini, in diebus à Vigilia Pentecostes usque ad Festum Trinitatis inclusivè, in Festo Corporis Christi, & ejus die Octava, in Festo Assumptionis B. Virginis, & Omnium Sanctorum, *h.* transfertur in primum diem Festo Duplici vel Semiduplici *i.* non impeditum, exceptis tamen Festis Nativitatis S. Joannis Baptistæ, & SS. Apostolorum Petri & Pauli, quæ in die Octava Corporis Christi celebrantur. *k.* excepto quoque Festo quocunque solemni alicujus loci, quod in propria tantum Ecclesia, etiam cum aliquibus *l.* ex supradictis diebus occurrens, scilicet in Dominicis secundâ, tertiâ & quartâ Adventûs & Quadragesimæ, Dominicis Septuagesimæ, Sexagesimæ, Quinquagesimæ, & diebus infra Octavam Epiphaniæ (ut in Rubrica de Commemorationibus dictum) celebratur. Si autem Festum Nativitatis S. Joannis Baptistæ venerit in die Corporis Christi, transfertur in sequentem diem, cum commemoratione Octavæ; & in secundis Vesperis Corporis Christi fit tantum commemoratio S. Joannis: sequentibus autem diebus fit Officium de eadem Octava Corporis Christi, cum commemoratione Octavæ S. Joannis. Dies autem Octava Sancti Joannis tunc veniens in Octava Corporis Christi non transfertur, sed de illa fit tantum commemoratio in utrisque Vesperis & Laudibus diei Octavæ Corporis Christi, & id semper servetur, quando Festum habens Octavam transfertur, ut non  
ideo



ideo dies transferatur, sed ipsâ die de ea fiat commemoratio, quæ aliàs erat Octava, si Festum non fuerit translatum. Quod si Festum per totam Octavam transferri contigerit, illo anno celebratur sine Octava, nisi Titularis Ecclesiæ privilegio aliter fieri oporteat.

H. Breviùs dici posset, omne Duplex, quòd non est Titulus vel Dedicatio Ecclesiæ, aut Patronus, transferendum esse, si cum Festo vel Dominica primæ vel secundæ Classis occurrat.

I. Non autem die infra Octavam, quia hæc non est die impedita respectu Duplicium (nisi sit primæ, vel respectu priorumque, puta, quæ non sunt Patroni, Tituli, vel Dedicatio Ecclesiæ, etiam secundæ Classis Duplex) imò nec respectu Semiduplicium ad unum duntaxat diem proximè sequentem translatorum.

K. Quibus duobus Festis ob suam solemnitatem specialiter videtur hoc privilegium concessum; unde si aliud Festum, licet pariter foret Duplex primæ Classis, occurreret omnino transferendum id foret.

L. Unde si cum Duplicibus vel Dominicis primæ Classis vel aliâ die privilegiatâ omne Festum excludente occurrerent, similiter transferri deberent.

II. Si in die Octava alicujus Festi habentis Octavam occurrat aliquod Festum Duplex ex Majoribus suprâ in Rubrica de Commemorationibus enumeratis, *m.* fiat de Festo cum commemoratione diei Octavæ; exceptâ die Octava Nativitatis Domini & Epiphaniæ, in quibus non fit de aliquo Festo, *n.* sed transfertur in primam diem similiter non impeditam. Si autem non fuerit ex prædictis Festis; fiat de Octava, & Festum transferatur, ut suprâ. *o.*

M. Per majora hîc intelliguntur Festa primæ ac secundæ Classis; quæ solemnia alibi vocantur.



**N.** Quia dies Octava Nativitatis est Festum Circumcisionis, & principium novi anni: dies Octava Epiphaniæ autem continet Evangelium & Mysterium de Baptismo Christi; atque adeò utrumque meritò celebrari debet.

**O.** Ob quam causam putabant aliqui Octavas has Majoribus Duplicibus per annum annumerandas esse; sed hoc dici non potest, quia Majora Duplicia semper præferuntur Minoribus Duplicibus, non item Octavæ, utpote quæ in concursu cum Duplici dividunt Vesperas cum illo, nisi sint Christi Domini Octavæ; unde habent se Octavæ respectu Duplicium Minorum, sicut Dominicæ respectu Semiduplicium, quæ & ipsæ licet in occurru Semiduplicibus præferantur, uti & in concursu secundarum Vesperarum; in concursu tamen cum Semiduplici præcedente dividunt primas Vesperas cum illo, atque ideo inter Semiduplicia numerantur.

**III.** Si aliquod Festum Duplex infra Octavam occurrens, alio Majori Festo Duplici impediatur; transferatur in primam diem similiter non impeditam, *p.* & in eo fiat commemoratio de Octava.

**P.** Nisi Octava, in quam cadit, sit primæ vel secundæ Classis; tunc enim ultra illam transferri debet.

**IV.** Si in alijs Dominicis à supradictis *q.* occurrat Festum Duplex, non transfertur, ut dictum est in Rubrica de Commemorationibus.

**Q.** Hoc est, si in Dominicam, quæ non sit primæ vel secundæ Classis, cadat.

**V.** Festum Semiduplex occurrens diebus supradictis; *r.* & infra Octavam Corporis Christi, & alijs Dominicis per annum, transfertur in primam diem simili Officio *s.* non impeditam: occurrens verò in Dominicis infra illas Octavas, in quibus fit de Festis occurrentibus *t.* (ut dictum est in Rubrica de Octavis) transfertur in sequentem diem cum commemoratione Octavæ; quæ *u.* si fuerit alio Festo Duplici vel Semiduplici impedita, prædictum

Festum



Festum Semiduplex veniens in Dominica, x. transferatur post Octavam, ita ut Festum Semiduplex infra Octavam occurrens non transferatur, nisi proximè sequentem diem.

R. Duplicibus intellige, aut Octavis primæ, secundæ, tertix Classis.

S. Id est, novem Lectionum.

T. Quales sunt omnes & solæ Octavæ quartæ Classis, spectu Semiduplicis.

V. Dies proximè sequens.

X. Eadem est ratio de Semiduplici cum alio die infra Octavam, quàm Dominica occurrente; nam & tunc Semiduplex transfertur in sequentem diem; verùm hæc Rubrica intelligenda est de solis Festis ex præcepto, non autem de Festis ad libitum celebrandis; de his enim speciale est decretum à S. D. N. Clemente X. in hæc verba editum: *Quamvis Sacra Rituum Congregatio die 18. Julij 1671. Adhibuit, an de Sanctis ad libitum fieri possit Translatio, respondit affirmativè; nihilominus eadem Congregatio die 2. Decembris, priore decreto non obstante, censuit, in futurum Officia Sanctorum ad libitum non esse transferenda, quando dies Festivitatum sunt impediti die Dominico, aut aliquo die Festorum mobilium, si Sanctissimo visum fuerit; & de prædicta Sanctitas sua sensum eiusdem Sacra Congregationis approbavit, & confirmavit, & in posterum ita iussit. 20. Dec. 1673.* Cuius quod tamen decretum, nonnulli dubitârunt, an per hæc Festiva mobilia etiam dies infra Octavam, vel ipsæ dies Octavæ etiam intelligantur? Ratio dubitandi est, quòd dies infra Octavam propriè non vocentur Festa, atque adeò illo decreto Clementis comprehensa censeri non posse videantur. Verùm probabilius videtur, etiam ipsos dicto decreto includi, cum ipsorum continuatio Festi, atque adeò meritò etiam eodem quoque hoc cum Festo ipso privilegio gaudeant. Neque obstat, quòd communiter non Festi, sed speciali nomine dies infra Octavam appellantur; per hoc enim solùm probatur eos non esse Festa strictè accepta, prout scilicet hæc significant dies peculiaribus nominibus Feriæ, Dominicæ, diei infra Octavam non expressos; non autem probat, eos non posse Festa



accepta, prout scilicet hæc præcisè significant diem, de quo Officium aut Commemoratio ab Ecclesia celebratur, vocari; alioqui sanè nec dies Cinerum, nec Dominica Septuagesimæ, in Tabula Temporaria Festorum mobilium poni debuisset, cum nec ipsa strictè loquendo Festum dici queant.

VI. Si duo vel plura Festa novem Lectionum simul eodem die veniant, fiat Officium de Majori, id est, de Duplici, & Semiduplicia transferantur. *z.* At si omnia fuerint Duplicia, vel omnia Semiduplicia, fiat de digniori seu solemniori, &, quæ minoris solemnitatis sunt, transferantur. *a.*

*Z.* Nisi Semiduplicia talia privilegiata sint, uti sunt Vigilia Epiphaniæ & Pentecostes.

*A.* Solemnius autem, & dignius hoc loco censetur, quod in Litanijs Majoribus ordine præcedit, exceptis Sanctis Veteris Testamenti, à S. Joanne Baptista, qui ex speciali privilegio Apostolis ab Ecclesia præfertur, distinctis, quos Gavantus s. 5. c. 18. n. 7. Apostolis postponendos censet, nullam tamen addens causam hujus prælationis; unde meritò eorum perinde, ut Sanctorum Novi Testamenti dignitas secundum communem regulam metienda est.

VII. Si plura Festa novem Lectionum transferenda sint, priùs transferatur Duplex, quàm Semiduplex; *b.* & inter plura Duplicia, quod est magis solemne, semper priùs transferatur, & priùs celebretur; *c.* alioqui si sunt æqualia, *d.* unum ante aliud transferatur eo ordine, quo erant celebranda proprijs diebus. *e.*

*B.* Etiam si ordine temporis in Calendario antecedit Semiduplex.

*C.* Nam sola solemnitas in translatione attenditur, non autem dignitas, quâ unum Festum excedit alterum ejusdem Ordinis, id est, inter plura Duplicia communia non consideratur, an unum sit Martyris, vel Confessoris &c. sed tantum an sit Duplex majoris & altioris Classis.

*D.* Quoad Classem.

*Instruct. II.*

I

E. Id



E. Id est, ordine, quo in Calendario præcedunt.

VIII. Festum Simplex nunquam transfertur, sed si de eo non fieri potest Officium, fiat commemoratio, ut dictum est in Rubrica de commemorationibus; si autem venerit in illis diebus, in quibus Simplici nulla fit commemoratio, *f.* eo anno fit de eo ampliùs.

F. Id est, in Duplicibus primæ Classis.

IX. Si aliquod Festum novem Lectionum, quo annotatum est fieri commemorationem alius Sancti, transferatur propter advenientem Dominicam, vel aliud Festum majus, non tamen transfertur cum illo commemoratio illius Sancti in assignata, sed dicta commemoratio fit die suo in Dominica, vel die Festo, in quo fieri possit, cum non Lectione ejusdem, si propriam de vita Sancti habuerit: *g.* Festum verò novem Lectionum transfertur sine ulla ampliùs commemoratione Festi Simplicis prædicti. Quod etiam servatur in Commemorationibus occurrentibus in Vigilijs, cum de vigilia veniente in Dominica fit in Sabbato præcedenti; tunc enim commemoratio Festi Simplicis fit in Officio Vigiliæ, sed in Dominica.

G. Unde colligit Gavantus *f.* 3. c. 11. 34. si nona Lectione fit ex Communi Sanctorum desumpta, non esse dicendam in tali casu, uti in Festo S. Hermetis, quod in Festo S. Augustini occurrit, videre est.

## TITULUS XI.

### DE CONCURRENTIA OFFICII.

I. **C**oncurrentia Officij attendenda est semper in secundis Vesperis, quomodo sit ordinandum Officium consequenti die. Itaque cum die Officij